

casibus, ibidem explicatis, non procedat. Huc usque de subditis sæcularibus, nunc loquendo de regularibus in ordine ad facultatem concedendi ipsis dimissorias ad ordines.

132. *Prælati regulares possunt concedere suis subditis regularibus dimissorias ad ordines.* — Quæritur IV. Utrum prælati regulares possint concedere subditis suis regularibus litteras dimissorias ad ordines? Resp. I. Possunt prælati regulares, sive exempti, sive non exempti, suis subditis regularibus concedere litteras dimissorias, sed (seciasso speciali privilegio) non nisi ad episcopum diocesanum, sive illum intra cujus diocesis fines eorum monasterium existit, dummodo ipse ordinationes habuerit: alioquin, si hic ordinationes non sit habiturus, poterunt servatis servandis superiores regulares suis subditis regularibus concedere dimissorias litteras ad quemcumque alium episcopum. Ita communis; ac præter jura inferius alleganda, habetur decisum a Clemente VIII. in decreto, *super Ordinationes regularium*, quod refertur a Laureto de Franchis in *Controversiis inter episcopos et regulares*, n. 246; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 7, n. 18; Miranda, tom. I. *Manual prælat.* quæst. 38, art. 2 et aliis ut sequitur.

133. *Refertur decretum Clementis VIII quoad hoc.* — DECRETUM sacre Congregationis concilii Tridentini, emanatum auctoritate fel. record. Clementis VIII, *Super ordinationes regularium*,

« De mandato S. D. N. Clementis divina providentia Papæ VIII, tenore præsentium mandatur omnibus et singulis, quorumcumque regularium superioribus, ut de cætero observent, et observari faciant, quæ in decreto sacre Congregationis concilii Tridentini continentur; cujus tenor est talis:

« Congregatio concilii censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen diocesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is regularis positus fuerit: et si diocesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum; dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinatur quoad doctrinam; et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus diocesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus es-

set ordinationes. Verum, cum a superioribus, episcopo diocesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dantur, ab eis utique hujusmodi causam absentia diocesanæ episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ et passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem sanctissimo D. N. Papæ reservatas pœnas incurrunt. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 15 mensis martii 1596. »

134. *Idemque probatur ratione.* — Ratio prioris partis, quod nempe prælati, seu superiores regulares, suis subditis regularibus possint concedere litteras dimissorias, desumitur tum ex jure canonico, c. *Abbat.* 3 *de Privileg.* in 6. ubi ipsi generalem, et « quasi episcopalem jurisdictionem, » in suos subditos regulares obtinere noscuntur: tum ex concilio Trident. sess. 23. cap. x. *de Reform.* ac n. 129, relato: ubi dum abbatibus, quantumvis exemptis, prohibetur ordines minores conferre cuiquam, qui regularis subditus non sit, aut litteras dimissorias concedere aliquibus clericis sæcularibus, tacite seu argumento desumpto a sensu contrario, utrumque conceditur respectu suorum subditorum regularium. Accedit, quod idem concilium Trident. cit. sess. 23. cap. viii *de Reform.* inter alia decreverit, quod nullus ordinetur « nisi ejus probitas, ac mores ordinarii sui testimonio commendentur: » atqui ordinarii religiosorum quoque hoc sunt proprii ipsorum prælati, seu superiores, qui suorum subditorum probitatem, vitam, moresque plenius cognoscunt, ac de istis testari possunt, non sic episcopi; ergo.

135. *Eas tamen solummodo concedunt ad diocesanum loci.* — Altera pars, quod nimirum superiores regulares non nisi ad diocesanum loci, dummodo hic ordinationem habiturus sit (secluso speciali privilegio) suis subditis regularibus litteras dimissorias concedere valeant; rursus patet tum ex allegato decreto Clementis VIII, tum ex concilio Trident. cit. sess. 23, cap. viii sic statuente: « Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. » Atqui proprius regularium episcopus censetur ille, in cujus diocesi ipsi commorantur, arg. c. *Cum nullus*, § fin. h. t. in 6. juncto concilio Trident. sess. 23 cap. x, *de Reform.* et tenet Miranda cit. quæst. 38, art. 2; Barbosa, cit. part. II. allegat. 4. n. 61 et 62, cum aliis inde concludens, quod

regulares debeant ordinari ab episcopo loci, ubi degunt, vel ab alio, accedente ejus consensu, ac præviis litteris dimissorialibus suorum superiorum: et si degant in monasteriis existentibus in loco nullius diocesis, ab episcopo viciniore. Atque hoc ipsum ex sententia sacre Congregationis concilii, docet Fagnanus in e. *C. m. olim.* n. 16 *de Prescript.*

136. *Nisi habeant privilegium, ut a quocumque episcopo ordinari valeant; et an tunc teneantur ad formam decreti Clementis VIII?* — Intellige, « secluso speciali privilegio: » quale nonnullis religiosis esse concessum, ut a quocumque antistite, communionem Ecclesiæ habente, cum prælatorum suorum licentia seu dimissoriis ordinari valeant, patet inter alia ex concessione Clementis VIII, die 23 novembris, 1596, facta Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia: de qua jam supra § 2, n. 51, dictum est. Nam quod ejusmodi religiosi non sint astricti ad eam formam concedendi dimissorias subditis suis, quæ in relato decreto Clementis VIII, præscribitur; recte notat Piasecius, part. I, *Praxis episcopalis*, cap. I, art. 2. n. 5; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 4, n. 60; Pirhing h. t. n. 61, vers. *Porro etsi*, cum aliis. Nec immerito; tum quia allegata concessio Clementis VIII, est posterior citato suo decreto, ut liquet ex data; tum quia privilegium a Papa concessum, debet aliquid speciale operari, c. *Abbate*, 25, *de Verb. signif.* Sed, si ejusmodi religiosi in suis dimissoriis necesse haberent exprimere, quod episcopus ille, in cujus diocesi situm est ipsorum monasterium, sit abfuturus, vel nullas ordinationes habiturus, jam hoc ipso eorum privilegium nihil speciale operaretur; cum non nisi ex hisce duabus causis cum veritate dimissorias ad alium episcopum suis concedere valerent, quod nunc est commune omnibus religiosis ordinibus.

137. *Aut nisi diocesanus loci sit absens, vel ordinationes non habiturus.* — Ultima pars quod episcopo absente, seu ordinationes non habente, possint servatis servandis prælati, seu superiores regulares, suis subditis religiosi ad quemcumque alium episcopum litteras dimissorias concedere præter rationes n. 134, allatas, constat ex relato decreto Clementis VIII, ubi etiam illa, quæ in tali casu sunt observanda, clare exprimentur. Quod quidem, utpote indistincte loquens intelligendum est de regularibus tam exemptis, quam non exemptis. Neque in tali casu opus

est licentia proprii episcopi diocesanæ: hanc enim jus ipsum, sive decretum Clementinum tribuit; prout simile quid habetur in c. *Eos qui*, § fin. h. t. in 6.

138. *Litteræ dimissoriæ, an expirent morte concedentis? Et rationes dubitandi.* — Quæritur V. Utrum litteræ dimissoriæ expirent morte concedentis? Ratio dubitandi est: quia mandatum seu beneplacitum alicujus, morte mandantis extinguitur, 1. *Mandatum*, c. *Mandati*, et c. *Si gratiose* 5, *de Rescript.*, in 6. Atqui litteræ dimissoriæ sunt mandatum sive beneplacitum episcopi eas concedentis; ergo hujus morte extinguuntur: nam mors omnia solvit, Auth. *de Nuptiis*, § *Deinceps*, collat. 4. Verum his non obstantibus,

139. *Eas non expirare morte concedentis, ostenditur.* — Resp. I. Litteræ dimissoriæ ad ordines non expirant morte concedentis, sed semper valent tum vivente tum mortuo dante. Ita Navarrus in can. *Placuit*, n. 34 et n. 162. *de Penit.* dist. 6, citans Cardinalem receptum in Clement. fin. *de Elect.* quæst. 5; Zerola in *Praxi episc.* part. I, §. *Dimissoriæ ad ordines* § *Ad nonum*; Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Formula dimissoriarum litterarum*, n. 43, etsi prius non parum in oppositam sententiam inclinaret; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 7, n. 23, et plurimi alii ab hoc citati. Ratio est: quia gratia jam facta cuiquam, non expirat morte concedentis, c. *Si super gratia*, 9, *de Offic. delegat.* in 6, et c. *Si cui*, 36, § 1. *de Præbend.* in 6. Atqui litteræ dimissoriæ continent gratiam factam, seu actualem concessionem recipiendi ordines ab alieno episcopo; ergo. Et hinc in simili, licentia de confitendo, licentia de non residendo causa studiorum, et licentia celebrandi Missam in domo sua, non expirant morte concedentis; prout hoc posterius decidit Rota *In antiquis*, decision. 580 et 882 ac cætera pluribus firmat Navarrus loc. cit. n. 163.

140. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec obstant rationes dubitandi, num. 138. in contrarium allatæ. Non prima: quia aliud est in mandato de faciendo aliquid, de quo in cit. I. *Mandatum*, sermo est, aliud in gratia, licentia, seu facultate cuiquam facta, de qua hic sermo. Navarrus, loc. cit. n. 164. Nec secunda: quia litteræ dimissoriæ non conceduntur sub clausula illa, « Usque ad beneplacitum nostrum, » de qua procedit cit. c. *Si gratiose* (alioquin secus foret dicendum), sed solent concedi absolute et absque tali clausula.

141. *Idem dicendum de dimissoriis, a capitulo sede vacante concessis.*—Et haec tenent dicta procedunt etiam de litteris dimissoriis, quas capitulum cathedrale sede vacante concedit. Neque enim hæc exspirant finita capituli potestate: nam gesta a capitulo valida sunt, durante, si recte gesta fuerint, arg. c. *His que de Majorit. et obed.* et cap. un. eod. in 6, et tenet Federicus de Senis, consil. 16, circa initium, ac Rebuffus in *Praxi benefic. tit. Formula dimissoriarum litterarum*, n. 43, citans insuper Ancharanum in cap. I, in fine. *Ne sede vacante.*

142. *Nisi has novus episcopus, ut potest, revocaverit.*—Potest tamen episcopus successor per edictum revocare omnes, et quasque dimissorias, a prædecessoribus, seu capitulo sede vacante concessas, quæ nondum sortitæ sunt effectum, arg. can. *Si qua de rebus*, 12, q. 2, et tradit Abbas c. *Cum olim*, n. 2, § *Septimo dubitatur. de Majorit. et obed.* Idque probatur ex eo: quia non potest capitulum statuere in præjudicium futuri episcopi, nec prædecessor in præjudicium successoris; cum non habeat imperium par in parem, c. *Innotuit*, 20, de *Elect.* Consentit Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 7, n. 25, cum aliis id intelligens justa subsistente causa. Quod si vero episcopus successor non revocaverit, potestas data per dimissorias remanebit: quod valde esse notandum, inquit Rebuffus, loc. cit. n. 44.

§ VI.

DE INTERSTITIIS TEMPORUM AD ORDINATIONEM REQUISITIS.

143. *Interstitia temporum nulla certa statuuntur pro ordinibus minoribus.*—Quæritur I. Quæ sint temporum interstitia, quibus conferendi sunt ordines, et cur a jure statuta? Resp. I. Interstitia, seu intervalla temporum, quæ inter receptionem unius ordinis post alterum intercedere debent, jure novo concilii Tridentini, sess. 23, cap. xi, 13, et 14, de *Reform.* statuuntur sequentibus verbis. Et quidem loquendo de ordinibus minoribus, nullum certum tempus interstitiorum præfigit, sed solum cit. cap. XIII, sic ordinat: «Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligunt, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur conferantur.»

144. *Pro aliis requiritur annus.*—Loquen-

do vero de ordinibus sacris, idem concilium pro singulis ipsorum præscribit unum interstitiorum annum, a receptione unius usque ad collationem alterius ordinis intermedium. Et quidem die subdiaconandis, dictum concilium in cit. sess. 23, cap. xi, de *Reform.* sic inquit: «Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, iudicio episcopi aliud exposcat.» De diaconandis autem loc. cit. cap. XIII sic ait: «Promoti ac sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorum gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur.» Et similiter unus annus pro presbyteratu assignatur per idem concilium, loc. cit. cap. XIV, illis verbis: «Et hi (presbyterandi) sint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ad Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem, aliud episcopo videretur, ministraverit, sed etiam,» etc.

145. *Naturalis, vel saltem ecclesiasticus.*—Notant tamen doctores, hujusmodi annum interponendum ab uno ab alterum ordinem sacrum non necessario debere esse naturalem, et solarem, qui habeat trecentos sexaginta quinque dies, sed sufficere annum ecclesiasticum; ita, ut sufficiat advenisse eandem annuam solemnitatem, seu tempora angariarum sequentis anni; licet annus naturalis nondum integre sit completus, ob celeriores recursum solemnitatis paschalis: prout a sacra Congregatione fuisse declaratum, refert Laurentius de Franchis in *Controversiis inter episcopos et regulares*, num. 263 et 264; ac sequitur Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 18, num. 2; post Zerolam in *Praxi episcop.*, part. I, § *Ordo*. § *Ad quartum*, Lezanam in *Summa Quest. regul.* cap. XIV, n. 17 et alios. Verum neque et annus ecclesiasticus adeo necessario requiritur, quin sufficere possit annus naturalis completus: ac proinde sabbato sancto ordinatus in subdiaconum, poterit sequenti anno in sabbato *Sitientes*, seu præcedente Dominicam Passionis recipere diaconatum, si tunc ob tardiores recursum Paschatis, annus naturalis jam est integre completus. Talis enim revera per annum versatus est in ordine subdiaconatus, prout requirit concilium Trident. loc. cit.

146. *Ratio, cur servanda interstitia.*—Resp. II. Ratio, cur servatis temporum interstitiis

conferendi sint ordines, est ea, quam idem concilium cit. cap. XI, adducit: videlicet, ut interim ordinandi eo accuratius, quantum sit cujuslibet ordinis, quem suscipiunt, pondus et dignitas, possint edoceri; simulque, ut in unoquoque munere, juxta præscriptum episcopi, sese exercere, sicque cum ætate majus vitæ meritum, majoremque doctrinam acquirere valeant.

147. *Textus notabilis Constitutionis Innocentii XII, circa ipsa.*—Pulchre quoad propositum S. D. N. Innocentius XII, in sua novissima constitutione *Speculatores domus Israel*, 1694, emanata: ubi circa initium, postquam præmississet, conveniens esse, ut clerici qui in sortem Domini vocantur, sint irreprehensibiles, et tales, quidigne possint Dominica tractare sacramenta, cunctosque ædificent tam fidei scientia, quam operum disciplina, subjungit in hæc verba: «Sane hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, et justitia, per ordinatissimos ecclesiasticæ militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrosque ordines juxta præscriptum Ecclesiæ morem, præscriptis a jure temporibus, orationi et jejuniis consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi sacros ordines extra tempora hujusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur; nec unquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, virtute rudes, et recentes, discipuli simul, ac magistri pietatis creentur; sed ii tantum juxta constitutas a majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi, ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.» Hæc Pontifex.

148. *Ex quibus causis possit dispensari in interstitiis.*—Quæritur II. Ex quibus causis possit dispensari in interstitiis? Resp. I. Ad dispensandum in interstitiis minorum ordinum quæcumque causa videtur sufficere, quamvis non sit multum necessaria. Ita Emmanuel Rodericus, tom. III. *Quest. regular.* q. 24,

art. 4; Miranda in *Manual prælat.* tom. I. quæst. 38, art. 8, et alii. Nam juxta concilium Trident., cit. sess. 23, cap. XI, sufficit, «si aliud episcopo magis expedire videatur.» Unde consuetudine pluribus in locis receptum est, ut eodem die, atque sub eadem ordinatione, quatuor ordines minores simul conferantur: nam et hoc, præsertim in diocesisibus amplioribus, magis expedire visum est episcopis. Et talem consuetudinem valere, patet ex declaratione sacræ Congregationis concilii Tridentini, n. 53, relata.

149. *Requiritur major causa in dispensatione quorundam interstitiorum, ac aliorum.*—Resp. II. Minor requiritur, ac sufficit causa, ad dispensandum in interstitio unius anni a subdiaconatu ad diaconatum, quam a quatuor ordinibus minoribus ad subdiaconatum, major autem causa requiritur in dispensatione interstitiorum inter diaconatum et presbyteratum. Ita Emmanuel Rodericus, cit. quæst. 24, art. 6 et 7; Miranda, cit. quæst. 38, art. 8; Barbosa, part. II. de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 18, n. 5, cum aliis. Ratio est: quia concilium Tridentinum (ut liquet ex ejus verbis, n. 143 et 144, relatis) facultatem dispensandi in interstitiis unius anni inter subdiaconatum et diaconatum, relinquit arbitrio episcopi, ibi: «Nisi aliud episcopo videatur:» sicque sufficit quælibet causa, ob quam ita expedire episcopus judicaverit. At vero, ut dispensetur in interstitiis ab ordinibus minoribus ad subdiaconatum, requirit concilium Trident. loc. cit. cap. XI, determinate, disjunctive tamen, causam necessitatis aut utilitatis Ecclesiæ. Ut autem dispensetur in interstitiis inter diaconatum et presbyteratum, requirit idem concilium cit. cap. XIV, determinate, simulque conjunctive, utilitatem ac necessitatem Ecclesiæ, episcopi arbitrio dijudicandam: unde manifestum fit majorem hic requiri causam dispensandi, quam ibi.

150. *Et cur?*—Accedit ratio congruentiæ quia in ascensu a subdiaconatu ad diaconatum, non mutatur amplius status, quia jam mutatus fuit; in ascensu autem a minoribus ordinibus ad subdiaconatum mutatur status, nec licet amplius regredi ad statum sæcularem, seu conjugalem: sicque rationi consentaneum videtur, quod subdiaconatus majori cum consideratione suscipiatur, nec tam facile in ejus interstitiis dispensetur, nisi Ecclesiæ utilitas, vel necessitas iudicio episcopi, aliud exposcat. Atque hæc